

EXCELLENTISSIMO VIRO
CAIETANO
ANTINORIO
EQUITI STEPHANIANO
PATRICIO FLORENTINO
FRANCISCI I.
ROMANORUM IMPERATORIS
PII AUGUSTI FELICIS
IN ETRURIAE REGIMINE A SANCTIORIBUS CONSILIIS
ET IN RE BELLICA A SECRETIS
SE SUASQUE E THEOLOGIA DEPROMPTAS THESES
F. CANDIDUS ATTILIUS AB EMPOLI
MINORITA
D. D. D.



FLORENTIAE. MDCCCLIII.
APUD PETRUM CAIETANUM VIVIANUM.

PRAESIDUM PERMISSU.



DE LEGIBUS.



I.



Ntiquam legem Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi Auctorem habere; ab eo que conditam esse, contra Faustum Manchaeum, & legis ac Prophetarum Adversarium defendimus.

II.

Illum, qui in Monte Sina Moysi apparuit; eique legem dedit Populo promulgandam, non Deum ipsum, sed Angelum eius administrum fuisse, multis argumentis comprobamus.

III.

Veteris testamenti legem unis Iudeis datam fuisse, vel ex illo Psal. 75. *Notus in Iudea Deus, in Israël nomen eius;* & ex alio Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi,* & *iudicia sua non manifestavit eis,* facile evinci posse arbitramur.

IV.

Contra Spencerum legem per Moysen iudaico Populo promulgatam ad Aegyptiorum legum imitationem, ac si-

A 2

mili-



militudinem expressam non fuisse, & coelestium scri-
pturarum auctoritate, & theologicis argumentis lucu-
lentissimè demonstramus.

V.

Circumcisionem, & cum ipsa Mosaicam legem, abrogatam
fuisse contra Ebionitas legem hanc Christiana cum
professione coniungentes ex Prophetarum, atque Apo-
stolorum textuum adtentâ reflexione, clare, nitidè, u-
berrimè evincimus.

VI.

Quam quidem abrogationem ante Salvatoris mortem non
evenisse, sed in ea tantum causaliter, ut aiunt; com-
pletè vero, ut dicunt, & formaliter, in sacra Pente-
costes die Ierosolymis, & successu temporis aliis in lo-
cis pro virili merito contendimus.

VII.

Haud certè quidem nos latet quale, quantumque acre fue-
rit Augustinum inter, & Hieronymum certamen, an
~~eo~~ ipso tempore, quo mosaica lex mortua erat, mor-
tifera quoque extiterit: Hieronymum nos maximè su-
spicimus, Augustini tamen sententiam defendere veri-
tate compellimur.

VIII.

Apostolos sincero animo Mosaicam servasse legem; Paulum
non ex condicto, sed verè Cepham, hoc est Aposto-
lorum principem Petrum obiurgasse, tot, tantaque ar-
gumenta demonstrant, ut Virum theologum aliter sen-
tire nequaquam permittant.

IX.

Ingenti olim miraculorum multitudine israëliticum Populum
a Deo insignitum fuisse pervulgata res est. Quare id
tantum adversus spinosam, & Ioannem Clericum, con-
tendimus, nempè Iudeorum transitum, ut in divinis
legitur litteris, nec maris refluxui, nec naturali alteri
causae esse adscribendum.

X. Mi-

X.

Miraculi nomine, quod ad nos adtinet, id intelligimus, intelligendumque esse putamus, quod naturalium caussarum viribus inspectis, easdem excedere deprehenditur, compertumque est. IVX

DE INTUITIVA DEI VISIONE.

XI.

Intuitivam Dei visionem, quam possibilem esse propugnamus, quamque sibi, ac Iustis omnibus fore concedendam non obscurè significat Apostolus; nullatenus oculis corporeis concedi posse, sentimus.

XII.

Inter Acatholicos non pauci oculis mentis, & Beatis in Patria intuitivam hanc Dei visionem adimere non verentur: nos ex adverso sua in essentia Deum a Beatis conspicere statuimus praesertim ex illa Ioannis: *Similes ei erimus, quia videbimus sicuti est.*

XIII.

Etsi non desint praeclarì Theologi, qui Augustino & Thoma Angelico praeceptore innixi, Mosem, & Paulum oculis mentis in via Deum ipsum conspexisse diuidicent: nos tamen oppositum tuemur, hominesque in hac vita degentes Deum nunquam vidisse defendimus.

XIV.

Hac beatifica visione statim post mortem donantur animæ illæ, quibus nil luendum superest, sed plene purgatae sunt cum ex hac vita decesserunt. Eae verò, quibus aliquid poenae solvendum restat, in Purgatorium locum, quem existere catholicè profitemur, ad tempus relegantur.

XV. Pue-

X V.

Pueros, qui sine Baptismo priusquam ad rationis usum per-
venerint, moriuntur non solum beatifica hac visione
privandos, sed sensus poenis insuper addicendos intre-
pidè praedicamus.

X VI.

In Inferno, hoc est in reproborum loco, nulla est redem-
ptio idest nec redemptio a culpa, neque redemptio a
poena : quare commentitiam prorsus credimus histoi-
riam de liberatione Traiani a poenis Inferni Divi
Gregorii precibus, ut fингitur, impetrata.

X VII.

Visionem, qua Deum ipsum intuentes, beati in patria effici-
mur, quamque Mosi, & Paulo in via concessere nonnulli,
naturae viribus haud sanè acceptam referimus ; Isaías
enim inquit, *oculus non vidit, Deus absque te, quae
praeparasti diligentibus te*: quare merito Beguardi, &
Beguinae damnati sunt.

X VIII.

Quid proinde de necessitate luminis gloriae sentiendum sit,
liquido constat ex Clementina : *Ad nostrum de Haereti-
cis*. Ea propter adversus Haereticos necessitatem super-
naturalis auxilii propugnamus, reliqua ad investigan-
dam luminis gloriae naturam, & multa & perobscu-
ra a nostra disputatione ablegantes.

X IX.

Si Dei comprehensio eam cognitionem delineat, quae
omni ex parte obiectum, eiusque cognitionem exau-
riat; Beatorum mens tametsi lumine gloriae perfusa
Divinam tamen substantiam comprehendere nusquam
potest: *Deus enim dicitur incomprehensibilis cogitatu*.

X X.

Hominum merita esse inaequalia, ut certum, inconcussum-
que damus. Illud unum Ioviniano, & Luthero obtru-
dimus, quod temere beatitudinis inaequalitatem infi-
cias ierint; cum tamen apertissimè colligatur ex San-
cto Ioanne illud Christi Domini referente: *in domo Pa-
tris mei mansiones multae sunt*.

DE



(7)

DE MATRIMONIO.

XXI.

Nuptias licitas esse, imo cum bonas, tum sanctas contra Marcionem, Encratitas, Manichaeos, aliasque pestes, plurimis, & locupletissimis omnis generis argumentis demonstrari contendimus.

XXII.

Quemadmodum primis Nuptiis caelibem vitam; sic secundis vidualem praeferimus castitatem; Nuptias tamen a prioris coniugis morte iterare, & licitum esse, & omnibus culpa carere catholice contendimus: proinde Montanistas, & Novatianos, qui inter alia secundas Nuptias, ut illicitas damnabant, iure meritoque esercramur.

XXIII.

Haud inficiantur equidem nostri temporis Haeretici matrimonium licitum esse, & a Deo vero institutum: negant tamen esse proprii nominis Sacramentum. Facile ex Scripturis, Patribus, & ratione temerarius hic error refellitur.

XXIV.

De ministro Sacramenti Matrimonii neutquam conveniunt Theologi; Veteres, multique ex Recentioribus existimant Contrahentes huius Sacramenti esse Ministros; contra vero alii cum Melchiore Cano ab Sacerdote hoc Sacramentum administrari propugnant. Priori nos sententiae adhaerendum putamus.

XXV.

Polygamiam, qua pluribus simul uxoribus vir unus nubaret, naturali iuri adversari, & nuptialis contractus fini planè repugnare, cum ex multis aliis, cum vel ex ipsa Gentilium sententia naturali in lumine fundata, non paucis argumentis comprobamus.

XXVI. Non

Matrimonii vinculum per libellum repudii olim non sollebatur; nec fas erat Judaeis alia cum uxore contrahere: at enim hoc eis Moses indulsit propter coram duditiam, ne scilicet exosas mulieres intestino odio prosequentes, eas tandem aliquando morte afficerent.

XXVII.

Quovis tempore Ecclesiam Christi detestatam fuisse clandestina Coniugia; et si quamdiu ea toleravit vera fuerint, ac rata Matrimonia, constat ex Tridentino: at vero post huiusmodi Concilium non illicita solum, verum etiam irrita ac nulla habenda fore, eiusdem Concilii Patres iustis de causis decreuisse compertum habemus.

XXVIII.

Quamvis communiter loquendo peccent ii filii, qui Matrimonium contrahunt invitis & reluctantibus Parentibus; non requiri tamen eorumdem Parentum assensum, ut filiorum contractus Matrimonialis ratus sit, ac legitimus, parati sumus ostendere.

XXIX.

Ne adulterii quidem causa coniugii, quod ratum est, & consummatum, abrumpi posse vinculum clara Scripturae testimonia, concors Patrum auctoritas, ac multiplex denique ratio demonstrat.

XXX.

Tandem fas est, & aliquando quoque expedit, ut permanente coniugii foedere, viri ac mulieres quoad thorum separentur, dummodo iustae intersint huius separationis causae, idque fiat Ecclesiastici Iudicis auctoritate.

Publicè disputabantur Florentiae in Templo OMNIUM SANCTORUM ab F. Candido Attilio ab Empoli, adstante F. MICHAELE ANGELO Minorita Florentino in eodem Lyceo Sacrae Theologie Lettore Generali, An. Dom. 1753. Men. Jul. Die

